



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 33. Bononienses a Papa bello invasi, eorumque urbs interdicto subjecta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

asperitas remissior, & siccitas æstatis maxima esset, pestilentiaë rabies magnam Italiaë partem misere devastabat. Nihilominus tamen pax Mediolanensem Ducem inter & Venetos, Florentinos, eorumque foederatos sancte firmata violabatur, belli fomitem rursus subjiciente Florentinorum levitate, ac inconstantia, necnon eorumdem insatiabili cupiditate, qua fines suos in Lucensis urbis detrimentum, quam tunc Paulus Guinesius tenebat, extendere anhelabant. Præterea hostilia molientibus calcar addiderat Nicolaus Braccius celebris illius, cujus supra meminimus, Bracii Nepos. Equidem summus Pontifex, & plures alii sanioris consilii Viri Florentinos ab hoc proposito dehortari nitebantur; Ast incassum omnia; unde per complures annos hoc bellum exarsit.

§. XXXIII.

Bononienses a Papa bello invasi, eorumque urbs interdicto subiecta.

Posteaquam Bononienses Pontificis imperium excusserant, Martinus V. arma contra eos movit, urbemque interdicto multavit, cujus Bullam, cum nemo Bononiensibus deferre auderet, Conradinus ex Ordine FF. Prædicatorum id officii se suscepturum ultro Pontifici promissit, atque ut interdicti sententia omnibus

Hist. Eccles. Tom. XXVI. Nn in-

Sæcul. XV.

A C. 1428.

Pogg. l. 6.

Antonin. tit.

2. c. 9.

Blond. 3.

dec. 4.

Land. de Vi-

ris illustr.

Ord. Præd.

l. 5.

Secul. XV.
A. G. 1428. innotesceret, ejus Bullam in Bononiensi foro promulgare, hastæque palam infigere ausus est. Prehenditur Monachus; sed ingens sanguinem suum pro Ecclesia Dei fundendi desiderium, quo se flagrare dicebat, necnon eminens ejus sanctitas tantum valuit, ut Magistratus mox illum e custodia dimissum libertati restitueret. Nec tamen propterea retineri potuit, quin libere, Pontifici obtemperandum esse, prædicaret.

§. XXXIV.

Bulla pro Ecclesiasticis non trahendis ad forum sæculare.

Bullar. tom. I. in Martin. V. Const. 10. Die prima Februarii Martinus Bullam edidit, qua prohibet, ne judices, Officiales laici, aliæque personæ sæculares jurisdictionem exercent in Clericos, nec cognoscant, judicent, aut sententias ullas pronuntient contra Ecclesiasticos in rebus ad Ecclesias, vel earum personas spectantibus, lata in contravenientes excommunicationis sententia. Item inhibet, ne Episcopi, Prælati, alique Superiores conveniant coram Judice laico Ecclesiasticos in causa spirituali. Tandem Curia Apostolicæ Procuratori Fiscali præcipit, ut vel per se, vel per suos hujus Bullæ executionem urgeret.

§. XXXV.